skola icke döma öfver oss, emedan de då äro folktribuner. P. Sulpicius, såsom domare obeveklig och rättskaffens, måste tillträda sitt embete den femte December. M. Creperejus, som härstammar ifrån den bekanta stränga riddarefamiljen och skolan, L. Cassius af en familj, som såväl i öfriga afseenden som isynnerhet i fråga om domareembetet är synnerligen sträng, den högst samvetsgranne och punktlige Cn. Tremellius, desse tre män af gammaldags redbarhet äro utnämnde till krigstribuner. Från och med den första Januari skola de icke sitta som domare. Vi skola invälja en annan äfven i M. Metelli ställe, enär han kommer att leda undersökningen; och på detta sätt skola vi efter den första Januari, sedan såväl prætorn som nästan alla domare blifvit ersatta genom andra personer, efter godtycke och behag gäcka anklagarens stora hotelser och de höga förväntningar, man fäster vid domstolen. §. 31. I dag är det den femte Augusti. Eder session började på den åttonde timman; denna dag tar man icke en gång i beräkning mera. Det är tio dagar till de spel, hvilka Cn. Pompejus sitt löfte likmätigt ämnar anställa; dessa spel skola medtaga femton dagar. Omedelbart derpå följa de Romerska spelen. Sedan på detta sätt nära fyratio dagar förflutit, då ändtligen tro de sig skola svara på det, som af mig kommer att framställas. Sedan tänka de sig utan svårighet kunna genom tal och undskyllningar förhala saken till de åt Segergudinnan helgade spelen. Till dessa sluta sig de plebejiska spelen, efter hvilka antingen inga eller högst få dagar skola återstå för rättegångsförhandlingar. Sedan sålunda intresset för anklagelsen försvagats och svalnat, skall saken, mena de, oafgjord bringas under prætorn M. Metelli afgörande, en man, hvilken jag icke skulle bibehållit såsom domare, om jag tviflat på hans trohet. §. 32. Nu är jag likväl så sinnad, att jag hellre ser honom såsom domare än såsom prætor vid detta måls afgörande; ty jag vill hellre anförtro honom såsom edsvuren hans egen än icke edsvuren andras omröstningstaflor.

Adnotationes.

Cap. I.

§. 1. "*Judices*": initio judices legebantur ex ordine senatorio, usque ad legem Semproniam, a C. Graccho anno a. Chr. n. CXXII perlatam, quæ ad equites judicia transtulit; postea autem L. Sulla victor lege Cornelia decem annis, antequam Verres in jus adductus est, restituit ea senatoribus, qui tamen studio partium et fide corrupta non solum ipsi in populi invidiam venerant sed etiam judiciis infamiam moverant commiserantque ut ea amissuri essent, quod idem significant hæc verba: "*ad invidiam — sedandam*", et mox infra: "*nobisque periculosa.*" — "*nostri ordinis*": de persona pronominis, ut etiam infra codd. variant. Editio Klotziana*), quam sequuti sumus, habet primam personam, quam Cicero, quippe quum esset quæstorius, recte potuit adhibere. — "*summo reipublicæ tempore*" i. q. periculoso sive quo omnis reipublicæ salus in discrimine versabatur; erat enim timendum, ne conatibus inprimis tribunorum plebis ad invidiam senatus judiciorumque augendam spectantibus orirentur motus et seditiones.

§. 2. "*Nunc in ipso discrimine*": ille enim erat annus a. Chr. n. LXX ordini senatorio infelix, quo Cn. Pompejo consule perlata est lex Aurelia a L. Cotta (cfr. Lib. V. Cap. 69) promulgata, ex qua judices non jam legerentur tantummodo e senatoribus sed etiam ex equitibus et tribunis ærarii. — "*legibus*": sc. de judiciis a senatoribus transferendis et præter alias illa lex Aurelia. — "*sua spe ac prædicatione*": hæc verba Cicero videtur addidisse, ut bene-

*) Altera emendatior, Lipsiæ MDCCCLXIII.

volentiam judicum conciliaret eosque liberaret omni fidei venalis suspicione. — "prædicatione" fere i. q. jactatione. — "*depeculatorem ærarii*": hic sequitur brevis quædam descriptio criminum C. Verris: quæstor Cn. Carbonis consulis in Hispania anno a. Chr. n. LXXXIV pecuniam, quam ad exercitum alendum provinciamque administrandam secum ex ærario habuerat, furatus consulem deseruit et provinciam v. Lib. I, capp. 12, 13. — "*vexatorem Asiæ et Pamphyliæ*": legatus et C. Malleolo quæstore mortuo, proquæstor Dolabellæ anno a. Chr. n. LXXX has provincias spoliavit multisque modis vexavit. — "Asiæ": Synecdoche pro "Ciliciæ." — "*prædonem juris urbani*": prætura urbana fungens anno a. Chr. n. LXXIV jus ob pecuniam impudenter violabat. — "jus urbanum est jus civile privatum, ex quo jus dicit prætor urbanus." Schützius in Lex. Ciceron. Animadvertit Klotzius, verba "prædonem juris urbani" similitudine ipsa vocabulorum nos apte commonefacere "prætoris urbani." — "*labem ac perniciem Siciliæ*": pro prætore hanc provinciam per tres annos a. Chr. n. LXXIII—LXXI administrans summa sævitia et violentia eam vexavit ac perdidit, qua de re nunc accusatur.

Cap. II.

§. 3. "*Insidiæ terra marique — quas — devitarim*": Cicero quum e Sicilia, quo se contulerat ad testimonia in Verrem colligenda, rediret, insidias a Verre factas eo devitavit quod Vibone in agro Bruttio navigavit Veliam, oppidum Lucaniæ. Putantur tamen verba Ciceronis hoc loco ut etiam in Lib. II, cap. 40, ubi hæc res narratur, non ad litteram accipienda sed potius in iis artibus numeranda, quas multas adhibuerint veteres oratores de adversario detrahendi causa.

§. 4. "*exspectatio*": sæpe de eo, de cujus eventu timetur. — "*concursus tantæ multitudinis*": ad comitia obeunda spectandosque ludos, qui hoc fere tempore erant futuri magna hominum multitudo in urbem convenerat. — "*M' Glabrio*": vir erat magnæ probitatis et integritatis et is, qui

huic judicio præerat. — "*surripuissent — eripuisse*": his verbis conjunctis præclare significatur violentia Verris et impudentia; de consecut. temp. v. Madv. Gr. lat. §. 403, b.

§. 5. "*Obscurus in agendo*": i. q. suas actiones callide recondens. Zumptius pro "obscurus" vult "astutus", quod obscurus solum ad animum pertinere videatur et minus apte ad agendum applicetur. Ex ratione tamen loci (cfr. infra "*apertus*" — "*perspicua*", quæ vocabula verbo "obscurus" opponuntur) apparere videtur, "obscurus" aptissimum esse verbum. — "*Recens — recenti*": Manutius: "argute; recens quidem ipse erat e provincia, non tamen recens ea, qua flagrabat, invidia." — "tempus alienum": quia non minus accusator quam judices erant integri et justi.

§. 6. "*in Siciliam*": alii, "in Sicilia", ut ad verbum "inquirendi" referatur. — "*diem perexiguam*": CX dies, ut est in Lib. I. cap. 11. — "*postulavissem*" sc. a prætore. — "*iste* = Verres. — "*qui biduo breviorem diem post.*": nihil nisi conatus spatii interponendi, ut Verres aliquam viam salutis inveniret. Mos enim erat, ut ei, qui brevius postulavisset tempus ad testimonia colligenda, prius, quam qui longius, lege agere liceret. Hoc modo Verres impediebat, ne Cicero causam ageret, priusquam tempus ab inquisitore Achaico postulatum præteriisset. Qui accusator ille et reus fuerint, non satis constat. — "*Brundisium*": oppidum Calabriæ, unde in Græciam vulgo transibatur. — "*meum tempus obsideret*": i. q. occuparet vel mihi eriperet tempus, quo aliter ad causam agendam percommode usus essem.

Cap. III.

§. 7. "*Hoc cogitat*": id quod infra §. 8. dictitans inducitur. — "*paratum atque instructum*": sc. testimoniis. — "*legationes*": magistratibus de provincia decedentibus a singulis provinciæ civitatibus Romam mitti solebant legationes, quæ, prout magistratu functi essent, eos laudarent aut vituperarent atque, si quid commisissent contra leges, in jus vocarent. — "*auctoritatibus*": "litteræ, quæ erant, tamquam auctores, testes facinorum Verris." Schütz.

§. 8. "*tempus ipsum emisse judicii sui*": speravit enim, se pecunia consequuturum esse, ut differretur judicium in sequentem annum, quo apud M. Metellum prætorem sibi amicissimum agendum esset. — "cetera": eos, qui tunc futuri essent judices.

§. 9. "*hæc omnia*": quæ supra dicta sunt ab eo ad causam producendam esse provisa. — "*arbitratu ejus deligeretur*": sive nocens erat sive innocens. — "*quæ opus essent*": sc. ad legis actionem proferendam aut si id minus contigisset ad judices hujus anni corrumpendos.

§. 10. "*hoc prætore — hoc consilio*": laus quædam ad fidem eorum confirmandam. — "*in rejectione judicum*": ex lege Cornelia, quæ tunc valebat, judices ad certam causam dijudicandam sorte erant constituendi e numero eorum, qui in annum judices erant, qua sortitione facta reis licebat numerum quendam rejicere eorum, quos nolebant, quorum in locum alii prætori erant subsortiendi. Ut ex Lib. II. cap. 31 patet, ii qui extra ordinem senatorium erant non amplius quam tres rejiciendi potestatem habebant. Verres quum justissimos rejecit judices, quorum sex nominavit Cicero, manifestum fecit, quid spectaret.

Cap. IV.

"*convictam*": pro hoc verbo Zumpt. vult "conjunctam", quod "vita vitiis convicta" a Cic. dici vix potuisse videatur, sed "vita vitiorum convicta" aliqua re, ut testimonio, judicio cet. Conjungitur tamen, ut Long. adnotat, cum abl. pro genit. crim. Lib. I. cap. 9, ubi est: "manifestis neque tantis criminibus, quantis tu convinceris." Consulto ambigue interpretatus sum, ita, ut vocabula "vitiis flagitiisque" aut pro abl. instrum. accipiantur aut pro Genitivo adhibita putentur.

§. 11. "Cn. Carbonem spoliatum": v. Cap. I. §. 2 adn. — Cn. Carbone, qui Marii partium fuerat, a Sullanis devicto et in Sicilia, quo confugerat, a Pompejo interfecto, Verres in partes Sullæ transiit. — "*sortis necessitudinem*

religionemque violatam": inter proconsulem et quæstorem ejus intima erat ratio et sanctissima, utpote quæ sorte, hoc est, divinitus confecta esset. — "cujus legatio" cet. v. cap. I. §. 2 adn. — "*scelus quæstorium": quod quæstor Cn. Carbonis commiserat sc. fraudem et proditionem. — "*pro quæstore*": Malleolo quæstore mortuo Dolabella Verrem proquæstorem fecit, quam potestatem habebat proconsul. — "*in ipsis periculis*": Dolabellæ a M. Scauro rerum repetendarum accusato Verres, quæ scelera commiserat ipse, attribuit et a Scauro coactus testimonium contra eum dixit. — "*oppugnavit ac prodidit*": "pejus prodere quam oppugnare, propterea quod oppugnare inimici et hostis officium est, prodere gravius, quum ad eos, qui amici esse debent, referatur hoc verbum." Ascon.

§. 12. "*Cujus prætura urbana*" v. §. 2 "*addictio*" pertinet ad jus prætoris, ex quo addicebat bona et damna; "*condonatio*" autem significat, Verrem bona ad libidinem adjudicasse vel potius donasse. — "*contra omnium instituta*", sc. quæ prætores, qui ante eum fuerant, in causis dijudicandis erant sequuti. — "*de prætura Siciliensi*" cfr. §. 2. — "per triennium": consules et prætores provincias administrabant solum unum annum. Causa autem, cur Verres administrationem Siciliæ diutius solito retineret, ea præcipue erat, quod Q. Arrius prætor, qui ei successurus erat, bello servili erat occupatus. Si latine recte dicitur: "alicujus imprudentiam subterfugere", nulla alia significatio posse videtur subesse, nisi: aliquem subterfugere, quippe qui sit imprudens.

Cap. V.

§. 13. "*ad nutum*": proconsules et proprætores fere viginti nobilissimos sibi adjungere solebant viros provinciales, quorum e sententia jus dicerent. Verres autem hoc concilio neglecto ad libidinem res judicabat. — verba "*ab eo*" ad "*cujusquam*" referenda sunt. — "*aratorum*": erant cives Romani aut provinciales, qui decumas solventes agros publicos in provinciis colebant. — "*cives Romani servilem in*

modum cruciati et necati": provinciales morte multandi jus habebant proconsules et proprætores; de capite autem civis Romani nisi in comitiis centuriatis Romæ statui non poterat; etiam poena proposita erat interdictum, ne quis civem Romanum verberaret cfr. Lib. V. cap. 66. — "*ejecti*" sc. e civitate. — "*portus — urbes patefactæ*": contra piratas Verres mittebat pauciores naves, quam ut eos intrare urbes impedire possent. Grævius.

§. 14. "*regum locupletissimorum*": in quibus nominandi sunt Agathocles et Hiero. — "*nostrorum imperatorum* sc. M. Claudii Marcelli et Scipionis Africani majoris, quorum ille Syracusis expugnatis monumenta non abstulit, id quod facere potuisset victor, sed Syracusanis sua sponte donavit, ad quod verbum "*dederunt*" pertinet; hic autem quæ monumenta Carthaginenses victis Syracusanis ceperant et asportaverant, ea restituit ("*reddiderunt*"). cfr. Ascon. — "*deum*": metonymice. — "*liberos*" i. q. filias.

Cap. VI.

"*alia ratione*": quam se honesto modo defendendo. — "*neque occultissime*": litotes. — "*inania nobilitatis*": "ludit obscure ancipiti significatione vocabuli, ut et inania nomina dicat, quasi vana et futilia, et inania nobilitatis, quasi veræ ac germanæ nobilitatis expertia. Hottom. — "*hominum arrogantium*": principes eorum erant Q. Hortensius, consul designatus, qui Verrem defensurus erat, tres Metelli, fratres, quorum Quintus erat consul designatus, Marcus prætor designatus, Lucius Siciliam proprætore administrabat, deinde C. Curio consularis, Sisenna cet. — "*nobiles — noti*": paronomasia, quæ suethice vix posse reddi videtur. — "*noti*" i. q. infames. — "*aliud quiddam*" sc. prolationem causæ aut judicum corruptionem.

§. 16. "*redemptio hujus judicii*" i. q. susceptio pecunia certa emendi vel corrumpendi judicium. "translatum a redemptionibus operis faciendi; nam qui certo pretio opus aliquod faciendum suo periculo conduxit, redemptor dicitur." Hottom. — "*fortuna pop. Rom. perfregerat*": sortes enim, quæ exciderant, maximam partem fuerunt proborum judi-

cum et integrorum. — "*mea diligentia vicerat*": rejectis judicibus, qui venales videbantur.

§. 17. "*libelli*": nomina judicum, qui rejectione facta in causa quadam erant judicaturi, modo in album prætoris referebantur; ne tamen prætor, quod non raro fiebat, alteri parti favens pro selectis alios judices supponeret, in libellis quoque multitudini distribuendis nomina eorum nonnumquam scribebantur; id quod Cicero sibi providendum existimasse nunc videtur. — "*nulla nota, nullus color — adlini posse*": acerbum probrum in Hortensium, quo defensore Terentius Varro, rerum in Asia repetendarum reus, corruptis judicibus absolutus erat. Ut enim exploratum haberet, qui judices fidem pactionis servantes Varronem absolverent, Hortensius dicitur tabellas discolore cera eis dedisse, de qua re Cicero sæpe mentionem facit. Cfr. cap, 13: "discoloribus signis — sententiæ notarentur" et Divin. in Q. Cæcil. "ceratam unicuique tabellam — cera legitima, non illa infami ac nefaria", et Asconii adn. ibidem. — "*his sententiis*" sc. judicum, quorum nominum libelli in omnium manibus erant. — "*comitiis consularibus factis*": in quibus Q. Hortensius et Q. Metellus, Verris fautores, consules creati erant; habebantur ante diem VI Kal. Sext. (Hottom.); actio autem in Verrem nonis Sext. haberi coepta est; cfr. Cap. X.

Cap. VII.

§. 18. "*C. Curio*": consul anno a Chr. n. LXXIV, victor Dardanorum; de facultate ejus dicendi Cic. in Bruto cap. 59. mentionem fecit.

§. 19. "*fornicem Fabianum*": arcum triumphalem a Q. Fabio Maximo Allobrogico devictis Allobrogibus in Via Sacra exstructum. (Ascon.). — "*renuntio — te absolutum*": nam Curioni erat persuasum, Hortensio et Q. Metello consulibus creatis, fore, ut Verres e criminibus elaberetur.

§. 20. "*quid igitur? quod*" — et infra "*quid, judices* cet." *prolepsis:* Cicero adversarios Verris interrogantes facit, fautores autem respondentes. — "Tota hæc inducitur narratio ad judicum animos contra Hortensii, consulis designati, pro Verre pugnantis, gratiam auctoritatemque confirmandam." Manut.

— "*negotiatores*": cives Romani et equites et plebeji, qui in provinciis pecunias suas fenore occupabant et frumento in provinciis empto Romamque vecto lucrum quærebant. — "*in unius potestate*" sc. Hortensii.

Cap. VIII.

§. 21. "*hominis amplissimi*": Curionis. — "*tantam gratulationem factam*": nam si Verri contigisset causam differre in sequentem annum, quum M. Metellus de repetundis erat quæsiturus, sine dubio causam obtineret.

§. 22. "*pecunia Siciliensi*": quam in Sicilia per vim ceperat. — "*senatore — equitem*": qui ei fuerint, non liquet. Jam Ascon. animadvertit, esse verisimile, hoc a Cicerone esse fictum ad invidiam adversarii movendam et se ipsum defendendum, quia breviore tempore, quam solitum esset, cogeretur causam agere. — "*relictos*": deteriorem esse lectionem, censet Zumpt., quod qui fisci a senatore translati dicantur, apud eum relicti dici non possint, aut verba "*ex his*" de omnibus fiscis, qui apud illum senatorem erant depositi, non de illis, qui translati erant ad equitem, dicta habenda esse. — "*comitiorum meorum nomine*": ut ego iis divisis in comitiis, in quibus ædilitatem petivi, honore dejicerer. — "*divisores tribuum*": erant ii, qui in comitiis pecunias pro suffragiis antea promissas in tribus distribuebant aut totum corrumpendi negotium certa pecunia quasi redimebant. Postea societates quasdam, quæ sodalitia vocabantur, inierunt divisores et suam quisque tribum aut tribus partem susceperunt corrumpendam, ut candidatis quibusdam suffragarentur. Cfr. infra §. 23 "*optima divisorum disciplina.*" Compluribus legibus hoc ambitus genus erat vetitum. — Cfr. Rein das Criminalrecht der Römer pagg. 704 & 714.

§. 23. "*cum ipse præturam petisset*": Lib. IV. cap. 20 Verres narratur dedisse divisoribus HSccc milia ut prætor renuntiaretur. — "*Romilia*" sc. tribu. — "*Optima discipl.*": ironice. — "*patris istius discipulum*"; "tamquam divisorum magistri." Ascon. — "*et fuisse tamen*": pro "tamen" Hottom. vult "tandem" alii "tum", quæ lectiones sententiæ quidem melius satisfacere videntur.

Cap. IX.

§. 24. *"urgebant comitia":* ex hoc loco satis liquet, comitia ædilicia, quæ quidem ædilibus curulibus creandis habebantur, de quibus hic agitur (cfr. Lib. V. cap. 14), facta esse post comitia consularia prætoriaque, itaque paucis solum diebus ante judicium ipsum. Cfr. Becker. Röm. Alterthüm. de Ædilitate.

§. 25. *"qui non venisse":* hæc constructio Ascon. offendit, qui putat legendum esse "venissent"; alii verbum "qui" tollere voluerunt; neutri tamen rei justa causa subest, si "qui", ut debet, conjungitur cum vocabulis *"cum intelligerent."* Cfr. Zumpt. & Long.| — *"ut ceterorum hoc anno comitiorum":* ut eorum, in quibus Hortensius et Metelli ambo pecuniis Verris honores suos erant assequuti. — *"cum filio":* patrem in Siciliam comitatus testis ejus facinorum fuerat. Cfr. Lib. II. cap. 59, Lib. III. cap. 9.

§. 26. *"prærogativam — prærogativis":* ambigue dictum: comitiis centuriatis in rationem magis popularem commutatis conjunctisque tribubus cum classibus et centuriis ita, ut incolæ uniuscujusque tribus censu in quinque illas classes describerentur prætereaque singulæ tribus ætate tribulium in duas partes, juniores dico et seniores, dividerentur secundum pristinam centuriarum divisionem; prærogativa ea erat centuria sive dimidia tribus, quæ sorte electa e prima ut videtur classe et nomine tribus, cujus erat pars, appellata prima ferebat suffragium. Sic fere Beckerus et Lange. Vox "prærogativæ" in plurali numero usurpata pendet, ut in Georgii lexico res est explicata, de illa tribuum divisione in juniores et seniores; quum enim sors juniorum excidisset, seniores quoque una cum iis suffragium iniisse et inde "prærogativæ." — Quod autem prærogativam, quippe quæ sorte esset ducta ideoque divinitus statuta haberetur, ceteræ centuriæ, quæ "jure vocatæ" appellabantur, in suffragiis ferendis sequi solebant, factum est, ut suffragium ejus esset quasi omen exitus comitiorum et vox prærogativæ eandem fere significationem obtineret atque "omen",

"signum", "indicium" sim. Hoc igitur dictum vult Cicero, Q. Metellum arcessendo et a Verris accusatione deterrendo Siculos (v. infra §. 27) videri gratiam ei retulisse pro prærogativis proximis comitiis consularibus pecunia Verris adductis ad suffragandum Metello.

Cap. X.

§. 29. "*te non fato, ut ceteros ex vestra familia — consulem factum*": quod putavit Ascon., Ciceronem his verbis significasse hunc Cn. Nævii antiqui poëtæ versum: "fato Metelli Romæ fiunt consules", quo versu iratum Metellum quendam respondisse: "dabunt malum Metelli Nævio poëtæ, animadverterunt recentiores interpretes, hunc versum Cn. Nævii clari scriptoris belli Punici fuisse vix posse, quod eo vivo tantummodo duo Metelli consules facti essent, et sine dubio ei attributum esse, quod inimicitias cum Metello habuisset. Censent igitur, versum illum fuisse proverbium recentioris temporis, quum jam multi ex Metellorum familia ad summos reipublicæ honores pervenissent, et id ipsum proverbium spectasse Ciceronem hoc loco in Metellos invectum. — "*quæsitor*" i. q. prætor, qui quæstioni cuidam præerat. — "*collega nostri accusatoris*": proximis enim comitiis una cum Cicerone factus est ædilis curulis in sequentem annum. Schütz. Lex. Ciceron. — "*judex in Juniano consilio*": C. Junius quæsitor in causa de Oppianico quodam, qui a Cluentio privigno suo veneficii erat accusatus, dijudicanda a Cluentio corruptus est, ut Oppianicum condemnaret; paullo autem post C. Junius a L. Quinctio, defensore Oppianici, in judicium adductus condemnatus est. M. Cæsonius autem, qui inter judices Junianos fuerat, non solum integer repertus est et incorruptus, verum etiam patefecit corruptionem. Cfr. Rein das Criminalrecht der Röm. pagg. 429 & 654. — "*ex Kal. Januariis*": hoc enim tempore ædiles curules magistratum inibant Kal. Jan. (Becker.); M. Cæsonius igitur ædilis partes judicis sustinere non poterat.

§. 30. "*Q. Manlium et Q. Cornificium*": tribunos plebis magistratum a. d. IV Non. Dec. iniisse pro certo habent

interpretes. Becker. Klotz. — "*P. Sulpicium*": "qui ille magistratus Sulpicii fuerit, et si tribunatus plebis fuerit, cur homo a prioribus duobus dirimatur et Non. Dec. initurus dicatur, cum satis constet, tribunos plebis a. d. IV Idus Dec. inisse, nemo adhuc excogitavit." Zumpt. — Klotz. autem censet, esse verisimile, eum fuisse quæstorem in sequentem annum designatum ideoque Non. Dec. initurum esse; nam eo die quæstura inibatur. Becker. — "*L. Cassius*": oriundus a L. Cassio Longino, servissimo judice et justissimo, quem laudavit Cicero in Orat. pro S. Roscio, Cap. 30. Tribunos militares iniisse magistratum Kal. Jan., ex hoc loco patet. — "*homines veteres*": Zumpt. ita explicat verbum "veteres", ut sit: "exercitati rerum judiciorumque gnari."

§. 31. "*ludos votivos*": committebantur igitur ante diem XVII Kal. Sept. et durabant usque ad ante diem II Kal. Sept. Erant extraordinarii ludi, tunc a Cn. Pompejo ob Sertorium in Hispania devictum facti. Ascon. — "*ludi Romani*": celebrabantur a Kal. Sept. usque ad ante diem XIII Kal. Oct. Sic Klotz. secundum Orellii Inscriptiones Lat., quod etiam rationi loci magis est consentaneum. — "*prope XL diebus interpos.*": libere dictum pro quinque et triginta diebus. — "*ludos Victoriæ*": a Sulla Samnitibus devictis instituti putantur esse celebrati ab ante diem VI Kal. Oct. per quinque dies. Orelli. — "*Ludi plebeji*": in memoriam reditus plebis in gratiam cum senatu post secessionem primam in montem sacrum committebantur a pridie Non. Novembr. ad ante diem XV Kal. Dec. Orelli. — "*aut nulli aut perpauci*": sc. propter alias ferias, quæ erant futuræ. Nam per omnium ludorum dies servabatur justitium. — "*defessa et refrigerata accusatione*": cfr. Cap. 18. §. 54: "Cum accusatio nostra in oblivionem diuturnitate adducta sit."

§. 32. "*jurato — injurato*": judices enim jusjurandum dabant, prætor non item.